

cordisque tremore, quam gravissimis curis confectus, ex humanis Ratisbonæ excessit. Nam cum post Henrici Galliarum Regis e Sarmatia discessum ei suffici frustra adnixus esset, Stephano Battoreo Daciae Principe, & amicorum studiis, & Amurathis favore ad regnum sublato; quo pacto a suæ factionis hominibus eamdem sibi delatam dignitatem tueretur, sedulo cogitaverat, comitiisque Ratisbonam vocatis, cum & Sarmatarum potentia, & Turcarum auctoritate secus atque existimaverat multis implexum difficultatibus negotium animadverteret, mœrore animi jactatus, una cum regni jure vitam amisit, Battoreusque pacatam Sarmatiæ obtinuit. Maximiliano Rodulphus filius successit, qui paulo ante Rex Romanorum creatus, Bohemiæ atquæ Hungariæ regni gubernacula susceperebat. Ad eum de more legati a Senatu Joannes Michaelius, & Leonardus Donatus Equites lecti, qui & patris obitum dolerent, & Imperium gratularentur.

1576
Maximi-
liani Cesa-
ris obitus.
Stephanus
Battoreus
Sarmatiæ
regnum ob-
tinet.
Rodulphus
Maximilius
no patri in
Imperio &
regnis suc-
cedit.

Joannes
Michaelius
& Leonar-
dus Dona-
tus ad Ro-
dulphi ora-
tores.

M. D. LXXVII.

DUM hæc in occidente sunt, frequentes a Corratio Byzantio literæ afferebantur, appetente vere Amurathem classem præpotentem Hellesponto, incertum quonam consilio, quasve in regiones, emissurum. Quocirca Jacobo Fuscarenœ, Cretæ legato, Senatusconsulto præceptum, quatuor consuetis triremibus, sex extra ordinem adjiciat; ac, si a Corratio Byzantii maritimos apparatus urgeri intelligeret, alias decem atque octo, quæ in Creta erant, instrui; easque quamprimum ante turcicæ classis exitum Corcyram, ut reliquis jungantur, proficiisci curet. Triremum insuper præfecti vigintiquinque creati; trium millium ac quadringentorum peditum delectus haberí jussum: horum octingentos Sfortia Pallavicinus; quadringentos Marchio Rangonius; totidem Jacobus Malatesta; sexcentos Thomas Constantius; parem numerum Germanicus Saornianus Comes, & Sbarra eques conscripsere, in Cretamque Moretus Calaber, qui summam militiæ præfecturam gereret, misfus. Verum has suspiciones bellum ab Amurathe in Persas illatum discussit, Venetosque non modo, sed etiam christianos reliquos Principes a maritimi belli metu per annos aliquot liberavit.

1577

Venetorum
de bello tur-
cico suspi-
ciones.

Turcæ bellis
Persicum
decernunt.

Ejus